

quod verum est. Item l. *Vi facit*, 20, ff. eod. ibi: *Vi facit tam is, qui prohibitus facit, quam qui quominus prohibeat, consecutus est, etc.* Prohibitus autem intelligitur quovis prohibentis actu, vel dicentis se prohibere vel manum apponentis, lapillumve jactantis prohibendi gratia. Quid clarius pro probatione minoris? ergo.

27. *Etsi ad tempus nuntiationi pareat, et ab ædificio cesset.* — Nec refert, quod ædificans post nuntiationem ad tempus cesset, sicque nuntiationi pareat, ac postea iterum incipiat. Nam contra est, quod hujusmodi cessatio ab ædificio ad tempus duntaxat facta non revelet, quominus adhuc dicatur, vi ædificasse, si quis tale ædificium sine permissione nuntiantis rursus assumit; prout expresse iterum decisum habetur in jure l. 1, § 9, ff. *Quod vi, aut clam*, ibi: *Si autem facientem prohibuero isque destiterit in præsentiarum, rursusque postea facere cœperit vi eum videri fecisse, nisi permissu meo facere cœperit.*

28. *Ædificatum ante nuntiationem in eo, quod quis possidet, alius ante denuntiationem destruere non potest.* — Dicitur autem notanter, ædificatum post denuntiationem; quia quæ quis in suo proprio ædificat ante denuntiationem, propria auctoritate nuntiantis destrui non possunt, per dicta n. 24, bene vero ædificata post denuntiationem, cum post hanc, non item ante illam vis nuntianti inferatur: quare bene notandum discrimen inter ædificantem in proprio, vel alieno fundo, ante, vel post denuntiationem. Si quis enim in tuo, quod possides, ædificat, eum tanquam vim tibi inferentem illico propria auctoritate violenter impedire, vel ædificatum in continenti destruere, sicque vim vi repellere poteris, etiam absque ulla nuntiatione novi operis, per dicta n. 22 et 23. Si vero non in tuo, quod possides, sed in suo, tui tamen in præjudicium ædificet, propria auctoritate illud destruere ante nuntiationem novi operis non poteris; sed hanc necessario adhibere debebis. Quod si vero ac per te facta ille ædificare contingat, illum tanquam vim juxta dicta n. 26, inferentem vi adhibita impedire, vel etiam ædificatum post denuntiationem propria auctoritate destruere poteris. Hinc caute et non nisi cum distinctione hujusmodi legere oportet doctores de hac materia scribentes.

29. I. *Nuntiatione non obstante potest quis pergere in ædificio, l. Si nuntiatio manifeste*

*est injusta.* — Queritur V. An, et in quibus casibus nuntiatio supra annotatis careat effectibus, ita ut ea non obstante opus novum, v. g. ædificium aliquod continuari valeat. Resp. In sequentibus, videlicet I. Si jus ædificandi est notorium et consequenter nuntiatio novi operis notorie injusta est. Zoesius h. t., n. 3. Abbas in c. 1, eod. n. 10. Pirhing h. t., n. 24. Valensis, Perez, Gailus, et alii, arg. l. *Prætor*, 20, ff. h. t. cum enim juxta hanc Legem nuntiatio remitti debeat, quando constat, nuntiantis jus aliquod prohibendi non competere, merito etiam notorie injusta nuntiatio contemnitur, præsertim quia frustra expectatur liquidatio juris certi.

30. *Solvitur objectio.* — Non obstantibus textus juris c. 1, h. t. cum Concord. ubi habetur ad nuntiationem novi operis alterum ab opere cessare debere, sive jure sive injuria aliquid construatur; consequenter sive justa, sive injusta sit denuntiatio. Resp. enim hunc textum intelligi non debere de nuntiatione manifesta et notorie injusta, cum leges manifestas injurias nullatenus foveant, arg. l. *Placuit*, 8. C. de *Judic.* sed de ea, quæ vel dubia, vel injusta appareat, manifeste tamen talis non est. Doctores citati.

31. *Et allegatur opinio contraria.* — Fatendum tamen, hoc non obstante opinionem contrariam teneri a Fachin. *Controvers.*, lib. 8, cap. XLV. Tum quia juxta dicta utroque jure habetur, nuntiationem suum effectum habere, sive jure, sive injuria aliquid construatur c. 1, h. t. Tum quia privatis concedendum non est, quod judicis auctoritate potest arg. l. *Factum*, 170, ff. de *Reg. ur.*

32. II. *Si est periculum in mora.* — II. Quando periculum in mora est, ita, ut ex dilatione ædificii imminet damnum ædificare volenti; tunc enim nuntians acceptare tenetur cautionem de opere destruendo, si jure non fuerit ædificatum. Gailus, lib. 1, *Observat.* 16, n. 8. Molina, *Disp.* 706, n. 43. Abbas, in c. 2, h. t., n. 9, arg. l. *de Pupillo*, 5, § 12, ff. h. t., ubi ratio additur illis verbis: *« Qui enim dubitat, multo melius esse, omittere operis novi nuntiationem, quam impedire operis necessarii urgentem extractionem. »* Accedit, quod, ubi est periculum in mora, recedatur a regulis juris. *Communis.*

33. III. *Si nuntians cautionem recipiat, et nuntiationem remittat, vel re adhuc integra moriatur.* — III. Si nuntians novum opus

cautionem ab ædificante accipiat de opere destrenendo, si injuste constructum apparuerit, c. *Significantibus*, 3, h. t., juncta l. *Prætor*, 20, § ff. eod. Quod facere potest, quamvis non teneatur per jura citata. Vel si nuntians re adhuc integra moriatur, l. *Non solum*, 8, § 6, ff. h. t., ibi: *« Morte ejus, qui nuntiat, extinguitur nuntiatio. »* Vel si idem nuntians sponte remittat nuntiationem cit., l. *Non solum*, § 4, ff. h. t.

34. IV. *Vel si recusat deponere juramentum calumnie.* — IV. Si nuntians ad instantiam ædificantis juramentum calumniæ coram judice deponere recusat, quod æstimet, se habere justam causam nuntiandi, l. *De Pupillo*, 5, § 14, ff. h. t., ibi: *« Qui opus novum nuntiat, jurare debet, non calumniæ causa opus novum nuntiare: »* ubi tamen additur: *« Hoc jusjurandum auctore prætoris deferatur, idcirco non exigitur, ut juret is ante quis jusjurandum exigat. »* Ratio est, quia juramentum hujusmodi recusans præsumitur malitiose facere nuntiationem; Hostiensis, h. t., n. 11. Molina, *Disp.* 706, n. 32. Pirhing, h. t., n. 22.

35. V. *Vel si intra trimestre non probat suum præjudicium.* — V. Si nuntians intra trimestre non satis probat jus nuntiandi sibi competens seu præjudicium ex opere novo oriturum; spatio enim trimestris elapso in opere pergere potest, saltem si cautionem præstet, c. fin. h. t. Molina, loc. cit., n. 32, et alii. Ratio est, ne alias frivolis nuntiationibus ædificia nimis protrahantur.

36. VI. *Vel si judex nuntiationem remittit quandoque potest. Justitiæ et æquitatis ratio præferenda est rigori juris.* — VI. Si judex nuntiationem, quam fieri jussit, iterum revocavit, l. *Si opus*, 16, ff. h. t. Sicut etiam, quando eam ab alio tactam considerata æqualitate naturali (quæ nonnunquam præferenda est juris rigori, l. *Placuit*, 8, de *Judiciis*, ibi: *« Placuit in omnibus præcipuam esse justitiæ æquitatisque quam stricti juris rationem »*) pro arbitrio suo ante elapsam trimestre remittit, uti ex dicta ratione nonnunquam potest, puta, si ex inspectione oculari, vel aliunde saltem summariter apparet de injuria nuntiationis, vel de periculo damni ex dilatione orituri. Engel, h. t., n. 5, dummodo judex interea petat, ut ædificans præstet cautionem de opere destruendo, quando injuste erectum constiterit.

37. *In suo fundo quilibet pro libitu etiam usque ad cælum ædificare potest.* — Quæri-

tur VI. An quilibet in suo fundo ædificare valeat, quidquid, et qualiter sibi placuerit? Resp. Cum Barbosa, in c. fin. h. t., n. 6. Molina, *Disp.* 109, a prin. Engel, h. t., n. 6, et doctores communiter, regulariter loquendo id fieri posse, adeo ut non possit quis propterea a vicino prohiberi, licet ex tali ædificio vicinus quamdam incommoditatem sentiat; puta, quia ejus domus redditur obscurior, vel quia liberior prospectus admittitur. Desumitur hæc recepta doctrina ex c. *Alius*, C. de *servitutibus*, ibi: *« Alius quidem ædificia tollere, si domus servitatem non debeat, dominus ejus minime prohibetur: (adde cum summario ibidem) etiam usque ad cælum: »* nam ut loquuntur doctores: *« Si domus est mea, tunc est mea usque ad cælum, et infernum. »*

38. *Nisi habeat servitatem urbanam.* — Dixi in responsione, regulariter loquendo: fallit enim hoc in sequentibus casibus I. Si vicinum habeat in domo ædificantis servitatem urbanam ex pacto, testamento, vel præscriptione acquisitam; ut sunt servitus altius non tollendi, non officendi luminibus, non officendi prospectui. Circa præscriptionem tamen notandum, non hoc ipso censi servitatem præscriptam, quod quis longo tempore non ædificavit; quia ædificare in suo est actus meræ facultatis contra quem non inducitur præscriptio.

39. *Vel ex suo ædificio vicini ædibus imminet periculum. Damnum infectum, quid?* — II. Si ex novo ædificio vicini ædibus imminet periculum damni vel ruinæ, recte tunc ædificanti nuntiat novum opus, ut cautionem damni infecti præstet, arg. l. 1, § *Nuntiatio*, ff. h. t., juncto toto Tit. ff. de *damno infecto*. Porro damnum infectum est damnum nondum factum, sed quod futurum veremur, ut explicat l. 2, ff. de *damno infecto*. Unde præstare cautionem de damno infecto, idem est, ac sese obligare ad compensandum omne damnum, si quod ex ædificio alteri obvenerit.

40. *Vel si ad solam æmulationem alterius ædificet.* — III. Recte nuntiat novum opus, si quis tantum ad vicini æmulationem ipsius ædes obscurare, aut nova fenestras contra domum, vel hortum ejus aperire vellet. Neque enim malitiis hominum indulgendum est, qui nihil agunt, quam ut noceant, arg. l. *In fundo*, ff. de *rei vindicat.* Cæterum præsumitur quis ad æmulationem id facere, si ipsi ædificanti talis structura nullam affert utilitatem.

41. *Vel contra favorem religionis aut boni publici.* — IV. Favore religionis ac boni publici quandoque prohibetur quis novum opus facere. Nam ut tradit Covarruvias, l. 3. *Variar. Resolut.*, cap. xiv, n. 8, etsi licitum sit cuilibet proprium ædificium altius tollere, l. *Alius*, C. *De servitut.*, tamen jure prohibitum est privatum ædificium ita altius extolli, ut ex eo videri possint religiosi, aut religiosæ intra proprias domos religiose habitantes, sicut placuit Salyceto, post Petrum et Cynum in dict. l. *Alius*: quasi favore religionis privatus uti non possit jure suo, quod habet tollendo alius domum suam, aperiendo fenestras, et lumina, quæ prospectu fuerint opportuna. Ita discurret Covarruvias, loc. cit.

42. *Sæculares non possunt erigere altas domos, vel in jam erectis facere fenestras, ex quibus videri in monasteriis possint fratres, aut moniales.* — Similia habet P. Hyacinthus Donatus in *Praxi resolutoria rerum regularium*, tom. 1, part. I, tr. II, q. 12, ubi cum Lezana, §. *Monasterium*, n. 23, recte docet, certum esse, quod sæculares non possint erigere ita celsas domos, ut videri possint fratres, aut moniales, et cui favet textus in c. *Periculoso*, *De statu Monach.*, in 6, ibi: « Ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatæ moniales, omnino servire Deo valeant liberius, etc. »

43. *Confirmatur eadem doctrina.* — Eadem materiam atque sententiam fusius tractat Alexander Sperellus episcop. Eugub. Decisione 58. *Fori Ecclesiastici*, ubi etiam relutat Molinam asserentem, quod a domo religiosa justo pretio sit redimenda servitus non prospiciendi. Vide insuper Layman, lib. III, tract. IV, cap. xvii, n. 34, ubi nonnulla alia exempla ponit publicum favorem concernentia, quamvis cæteroquin sequatur sententiam Molinæ, sed a citato Sperello rejectam, et merito; quia cum id de jure competat loco religioso favore religionis et honestatis, frustra dicitur id pretio redimendum.

### TITULUS XXXIII.

#### De privilegiis, et excessibus privilegiatorum.

1. *Materia hujus Rubricæ scitu utilis et Regularibus.* — Celebris est præsens titulus,

scituque utilissimus, præsertim religiosis mendicantibus diversa privilegia a Sede Apostolica habentibus: unde ut melius explicetur, simulque ob sui prolixitatem, expedit priores ponere paragraphos.

### § I.

#### DE NATURA, ET DIVISIONE PRIVILEGIORUM.

2. *Privilegium minus proprie.* — Quæritur I. Quid sit privilegium? Resp. I. Quamvis privilegium quandoque accipitur pro escripto, seu instrumento scripto, in quo gratia, seu beneficium principis continetur, seu conceditur, arg. c. *Cum dilecta*, de *Confirm. util. et inutil.*, ex c. *Ex parte*, h. t. Communiter tamen et magis proprie privilegium accipitur, pro ipsomet jure, beneficio, seu gratia cuiusdam a principe concessa. Hinc proprie loquendo de privilegio.

3. *Proprie loquendo, quid?* — Resp. II. Privilegium dicitur lex privata contra, vel præter jus aliquid concedens, c. *Privilegia dist.* 3, et c. *Abbate de Verbor. significat.*, ibi: « Cum privilegium sit lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret. » Dicitur autem lex, non quod obligationem inducat respectu ejus, cui datum est (nam privilegium est lex privata, non utrunque sed qua cuiusdam jus, beneficium, vel gratia a principe conceditur; nemo autem beneficium sibi concessio uti cogitur, arg. l. *Invito*, ff. *de Reg. jur.*, ibi: « Invito beneficium non datur, ») sed quoad alios, quibus præcipitur, ut illud observari faciant, vel prohibetur, ne impediant. Pirhing, h. t., n. 2.

4. *Dicitur lex privata, et quare?* — Et additur privata; quia privilegium conceditur ob bonum privatum privilegiati, certæ v. g. personæ, particularis alicujus collegii, universitatis, religionis, monasterii, ecclesiæ, civitatis, etc. Cui ex privilegio, favore, et gratia datur facultas aliquid agendi, vel omittendi, vel percipiendi contra, vel præter legem, aut jus commune: dum e contra lex communis respiciat, et feratur ob bonum totius communitatis.

5. *Quæ de jure competunt, privilegia proprie non sunt.* — Dicitur insuper contra, vel præter jus, quia quod jure communi competit, frustra per privilegium impetratur, arg. l. 1, C. *de Thesauris*, lib. X, ibi: « Superfluum est hoc precibus postulare quod jam lege permissum est. » Interdum tamen talia a

principe conceduntur ad majorem confirmationem et securitatem, ut fit c. *Quia in causa*, de *Procurat.*, etc. *Etsi Christus*, § fin. de *Jurjurand.* Quæ tamen non sunt proprie dicta privilegia, sed potius declarationes juris communis, vel naturalis.

6. *Privilegium variis nominibus jure venit: et quibus?* — Porro privilegium varia habet nomina in jure, quæ quasi synonyma sunt. Quandoque enim etiam vocatur jus singulare, l. 16, ff. *de Legib.*, subinde indulgentia, c. *Dulum*, 31, h. t. Item exceptio, l. *Ex præstatione*, 7, C. *de Vectigal.* subinde specialis largitas et prærogativa, ut l. fin. C. *de Fruct. et lit. expens.* subinde concessio, l. 1, prin. ff. *de Testament. milit.* item constitutio personalis, § 6. *Instit. de I. N. G.* et C. *Item lex propria*, l. *Municipalem*, 21, § fin. ff. *ad Municip.* Item rescriptum, diploma, indultum, principale, favor, gratia, immunitas, etc. Azorius, *Instit. Mor.*, lib. V, cap. xxii, q. 1.

7. *Privilegium aliud est contra, aliud præter jus.* — Quæritur II. Quotplex sit privilegium? Resp. cum communi doctorum, varias esse privilegiorum divisiones. Et quidem primo aliud privilegium est contra jus, ut exemptio a solvendis decimis, vel a jurisdictione ordinarii, et hujusmodi, quæ conceduntur contra jus commune. Aliud præter jus, sive (ut alii loquuntur) ultra jus: v. g. potestas absolvendi a reservatis, vel dispensandi, et hujusmodi, quando videlicet ipsamet materia, seu actus privilegii non est quidem in se jure prohibitus, sed tamen non nisi in certis personis concessus.

8. *Quorum illud est proprie delictum privilegium; istud vero minus proprie, et potius beneficium.* — Differunt primo: quia privilegium contra jus dicitur proprie privilegium, arg. l. *Jus singulare*, ff. *de Legib.*, ibi: « Jus singulare est, quod contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem, auctoritate custodientium introductum est. » Nam per jus singulare intelligitur privilegium, quale loc. cit. dicitur esse contra tenorem rationis, id est, contra rationem juris communis seu legis, prout ex antecedentibus verbis liquet. E contra privilegium præter jus meretur quidem nomen privilegii (cum et ipsi competat definitio privilegii ut sic, eo quod sit lex privata, et favorabilis ex speciali gratia principis concessa) non tamen adeo stricte sumitur, ob rationem prædictam ex textu juris desumptam, ac potius dicitur beneficium principis. Beneficium enim

strictè sumitur pro gratia concessa a principe præter jus, ut notat Abbas in *Rubrica de Rescript.*

9. *Privilegium contra jus, est strictæ interpretationis, præter jus vero, latæ.* — Differunt ulterius, quia privilegium contra jus plerumque est strictæ interpretationis, arg. c. *Porro*, et c. *Sane*, de *Privileg.* Alia vero privilegia præter jus, cum sint meræ gratiæ, ac beneficia principis, late interpretari debent, prout fusius diximus lib. I, tit. III, de *Rescriptis*, num. 130.

10. *Privilegium aliud est in corpore juris clausum. Aliud extra corpus juris.* — Secundo, privilegium aliud est clausum in corpore juris; aliud est extra corpus juris, seu datum per speciale rescriptum principis. Privilegium clausum in corpore juris dicitur, quod certis rebus vel personis concessum contra vel præter alias leges, corpori juris communis insertum est: ut sunt quam plura privilegia ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum, pupillorum, studiosorum, militum, ac hujusmodi, quæ passim habentur in utroque jure. Privilegium extra jus dicitur, quod per speciale rescriptum (seu per speciales litteras principis) cuiusdam personæ, loco, seu communitati concessum est, et necdum juri communi insertum.

11. *In quo differunt?* — Differunt isthæc privilegia quoad effectum: nam privilegium in corpore juris clausum non debet iudex ignorare, et si quid contra illud præcipiat, non tenetur privilegiatus obtemperare, arg. c. *Cum ad quorundam de Excessib. prælator.* E contra privilegia extra corpus juris, cum sint facti, potest iudex ignorare, et si quid contra privilegium mandet, vel aliquid contra tale privilegium specialiter extra corpus juris concessum citet, tenetur privilegiatus saltem pro reverentia iudicis comparere, et suum privilegium ostendere, eique, vel ipsius deputato in loco congruo ac securo ad legendum integraliter exhibere, prout habetur c. *Cum personæ*, ff. *de Judiciis*, ibi: « In jus vocati veniant privilegia sua allegaturi. » Alias differentias adducit Ludovicus Engel, h. t. n. 2, sed brevitalis gratia omittimus.

12. *Aliud est reale, aliud personale.* — Tertio, privilegium aliud est reale, aliud personale, aliud mixtum. Privilegium reale dicitur, quod proxime et directe confertur rei, loco, muneri, dignitati (v. g. prædio, eccle-